



E libris

**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74  
1592-1744

32

DISSERTATIO  
*DE*  
VETERVM ET RECENTIORVM  
RATIONE EXCITANDI  
IVVENTVTEM  
LITTERARVM CVLTVRAM,  
*AD*  
QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM  
ORDINIS CONSENSV  
IN ACADEMIA LIPSIENS  
DIE XVII. IUNII ANNO MDCCXIX.  
MORE CONSVENTO  
MODESTÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT  
PRAESSES  
M. ABRAHAM Riegel/  
VOLCKERSDORFIO - Lvs.  
RESPONDENTE  
HENRICO FREUDE,  
LIGNITIO - SILES.  
—  
LIPSIAE,  
LITTERIS SCHEDIANIS.

36



DIESER TITEL  
VERTRIEBTEN IN MURAYA  
KATAGATI  
1724  
MAGAZIN MURAYA  
AMERIKANISCHE HORN  
IN  
MURAYA  
DIE  
ABHANGT  
HAKKEO GRINDE  
FILIGRAN  
GODESBERGER  
BEGELEIDUNG  
VON  
MURAYA  
KATAGATI  
1724

V I R O  
CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO,  
ATQVE EXCELLENTISSIMO,  
D O M I N O  
CHRISTIAN. GODOFRED.  
HOFFMANNO,

J. U. DOCTORI ATQVE JURIS NAT. ET GENT.  
IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI  
PUEL. ORDIN.  
NEC NON

V I R O  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
ATQVE EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O  
JOHANNI ADOLPHO  
STOLLIO,

MEDICINÆ DOCTORI ARTEM MEDICAM  
APUD ZITTAVIENSES SUMMA LAUDE  
EXERCENTI,

PATRONIS AC FAVORIBVS

fuis  
multis nominibus colendis  
DISSERTATIONEM HANC QVALEM CVNQVE  
cupid esse sacram  
P R A E S E S.

## CONSPECTVS DISPVTATIONIS.

PROOEM. §. I. Affirmatur, Genus humanum si innocens esse perseverasset, excitatione ad Litterarum studium opus non fuisse. 2. nunc eam esse sèpius necessariam. 3. 4. non omnis ad Scholas admitti debere. 5. 6. indicatur ratio tractandi Argumentum, 7. definitio additur.

CAP. I. Recensentur excitandi rationes & quidem. §. i. Inventio litterarum. 2 Rationum excitandi paucitas. 3. Parentum auctoritas. 4. Sethiane Columnae. 5. Hieroglyphica Agyptiorum docendi ratio. 6. Per imagines docendi ratio. 7 Ars Lulliana. 8. 9. Lusus. 10. Musica. 11. Recitations Veterum. 12. Silentium Pythagoricum. 13. Laudes litterarum. 14. Plage, que ratio rejicitur. 15. Gloriarum cupiditas. 16. Aëmulandi studium. 17. Adhortatio ad Lusum. 18. Adhortatio ad operam manuariam. 19. Praemia. 20. Paupertas. 21. Libertas. 22. Aliae rationes. 23. Singularis ratio.

CAP. II. Complectitur judicium ex Philosophia Mor: de rationibus adductis. §. i. Ostenditur, omnia Incitamenta ad tres animi propensiones respicere. 2. Quer, an ideo licita? 3. Qui sint qui secus sentiant, indicatur. 4. Argumenta ipsis opponuntur. §. 5. Propensionem ad Voluptatem in excitatione posse respici, docetur. 6. Rationes excitandi hic spectantes, nominantur, expenduntur. 7. Romanenses Fabule rejiciuntur. 8. Felix matrimonium respici posse, conceditur. 9. Animi emendatio commendatur. 10. Temperandum esse voluptatis cupiditatem, monetur. §. 11. 12. 13. 14. Propensionem ad Gloriam respici posse, ostenditur & probatur. 15. Aëmulatio, que tolerari possit, docetur. 16. 17. 18. Cautiones atque Regule traduntur. 19. Propensionem ad opes respici posse, conceditur. 20. 21. Rationes adduntur. 22. 23. 24. Argumenta fissuntur, que omnes Propensiones respici posse comprobant. 25. Objectioni occurritur. 26. Repetitur Monitum. & 27. Claudiuntur rivi.

DISPUTATIONEM HANC QVILEMAGNAE



B. C. D.

## PROOEMIUM.

s. I.



Rimi Parentes, si in perfectione, quæ dignatus erat eosdem summis omnium rerum Conditor, perfittissent; eorum posteris, ut ad omne bonum, sic ad litterarum culturam adhortationibus opus sine dubio non fuisset. Defectio autem a Deo Geneti humano labem turpissimam contraxit, tantumque animis hominum torporem induxit, ut ad quodvis, quam ad bene, beataque vivendum sint aptiores. Quare, ut ne omni plane salute diu se orbos conspicerent, non potuerunt non de animi languore pellendo cogitare, & rationes excitandi ingenium humanum ad sciendi sapiendique cupiditatem investigare. Quod studium & multos exercuit, & jam exercet, occupatosque tenet; quorum institutum, qui reprehenderet, se sibi ipsi non constare, aperte proderet.

A 3

s. II.

§. II.

Dormientem, cum quo consabulari velis, ut expergefasias, necesse est; sic juventutem languentem, qua si docenda sit, ad litterarum amorem excitari oportere, quius facile intelligit. Animus quoque præsertim tenera etate varius est, & instabilis, qui nisi inclinetur & consilio formetur ad honestatem atque humanitatem, fluctuabitur, & denique incidet in rem perniciosaam, ingenuoque homine indignam.

§. III.

Certum tamen est, multos medici manus pati nolle, pluribus vero litteras colendi facultatem natura esse negatam. Propterea miror, in ludos recipi a multis magistris adolescentulos parum, vel plane non exploratos; cum tamen eos, si sint irrepti ad litteras, remittere, vel, si ipsi sit ingenium, & dispendi ardor, aliqua mora & anticipi spe inescare quasi & excitare, conveniat. Pythagoram ea in re fuisse admodum studiosum *Celeb. Buddeus ex Jamblichio probat in Exercit. de Cult. Ing. cap. II. §. 13. p. 380,*

§. IV.

Non in ea verborum opinione, ac si bardos, & stipites ad litteras pertrahere, deceat. Incitamenta adsint optima, dexteritas Præceptoris summa accedit; homo tamen nullius ingenii vel difficulter, vel nunquam eruditionem consequetur, id quod *Huartus in Scrutin. Ing. toto Cap. III. p. 69. seqq.* accurate satis demonstratum iuit. Inter alia igitur inquit: *Si discipulum talen deprehenderem, cui natura nihil plane capacitatis ad ultimum disciplinae genus hauriendum induxit, amicus hisce ac blandis ad eum monitis ueret. Amice, haud verum istud iter est, quo ad humanae perfectio- nis tendit scopum. Aliam te viam insistere conuenit, si nomen hominis mereri cupias; ne perde bonum tempus, neu vano te labore nequidquam macera: aliud tibi vita genus elige, cui minus habitatatis sufficiat, atque isthac studia requirunt lit- teraria.*

§. V.

§. V.

Cum non ignorem, multum interesset, an, qua ratione, & quo fine tyronem ad litterarum studium allicias, provokesque; non plane irritum laborem suscepatur me arbitratus sum, si pro ingenii modulo Veterum & Recentiorum rationes excitandi juventutem ad litterarum culturam recenserem, atque deinde judicium de iisdem adjungerem.

§. VI.

Summam argumenti, licet longa de vocibus disquisitio omittatur, a quovis capi facile & intelligi posse, autumno; hinc priusquam rem ipsam adgrediar, preter Definitionem nihil praemittere lubet.

§. VII.

Ratio excitandi juventutem ad litterarum culturam, seu, Excitatio ad litterarum culturam est Repræsentatio boni, quod vel litteris inesse, vel adhaerere, vel easdem sequi, aut mali, quod assiduo litterarum studio evitari posse, designatur, eam ob causam, ut juventus litteras amore amplectatur, promptiusque addiscat.

CAP. I.

Rationes Veterum & Recentiorum ju-  
ventutem excitandi ad litterarum cul-  
turam comprehendens.

§. I.

**A**DAMUM litterarum figuram pingendi, seu etiam alia ratione exprimendi artem invenisse, sicut occasio nem eo felicius excolendi animum dedisse, multorum est sententia; quam quibusdam argumentis probare annus est, nuperime Matth. Belius in Exercit. de Vetere Littera-

7484-

ratura Hunno - Scythica. *Sect. I. §. 2.* Clar. vero *Humanus* *Ægyptiis litterarum inventionem tribuit in Via ad Hisp. Litter. cap. III. §. 2. p. 12.* Alii aliis vendicant. Totares conjectura nititur; fateor tamen mihi priorem arridere sententiam, quamvis litteræ preter primam saltē infantiam nihil debere Adamo possint. Rationem per signa & figurās exprimendi animi sensa, inter rationes incitandi juventutem ad litterarum studium referre non dubito. Memoria est custos rerum sensibus perceptarum, qua vero nimis multis rebus obruta, animus hominis cupiditatem amittit sciendi, & quo plura recipit, eo plura tradit oblivioni. Si vero memoria juvetur vel signis vel alia ratione facilem, quam videt homo viam, ingreditur.

§. II.

Præterea paucas instigandi rationes ad litteras fuisse hominibus ante terrarum inundationem viventibus, conjectu facile est; nec tamen multo infeliores fuisse videntur, siquidem homo libertati suæ relatus, modo adsit index, lubentius progreditur. Nihil enim menti humanae plus officit, quam servitus.

§. III.

*Autoritas Parentum*, in primis in Gente, quæ Dei institutum sequebatur, apud liberos plurimum valuit, eosque satis ad dilecti studium inflammavit, hoc enim secum fert humana natura, ut eos, a quibus vitam, vivendi media, & rationem habemus, honore, & obsequio dignos judicemus. Nec quicquam obstat, quo minus judicium, quod ex Diodoro Stanleius in hisp. Phil. Orient. *Sect. I. c. 8.* adfert, probemus. Ille vero de Chaldaeis sic verba facit: *Quia parentibus utuntur magistris, plenius omnia discunt & sis, que docentur majorem habent fidem.* Immo si hoc tempore parentes diligentius filios erudirent, nec aliis operis vacarent, quin maiores progressus facturi sint, quam si a præceptore nullius sepe doctrinæ, nullius auctoritatis, nullius denique prudentiæ doceantur, nullum est dubium.

§. IV.



§. IV.

*Flavius Josephus in Antiquit. Jud. Lib. I. c. 3. refert:*  
Sethum virtutis studiis se totum dedidisse, nepotesque sui  
similes reliquissे, qui excogitascent fidealem scientiam, ac  
coelestium rerum cognitionem, ne autem inventa sua ex  
hominum notitia dilaberentur, & prius perirent quam  
pernoscerentur, scientes Adamum univeralem rerum in-  
teriorum præcecinisse, unum incendio, diluvio alterum, ere-  
ctis duabus columnis, utrique sua inventa inscripissent,  
ut, si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea super-  
stes hominibus discendi copiam faceret, &, quæ ipsi fuerint  
inscripta, spectanda exhiberet, cui narrationi, si liceret  
fidem habere, columnas istas, quominus inter incitationes  
ad discendi cupiditatem, referremus, nihil prohiberet. Com-  
parari posse hoc inventum, arbitror, cum confuetudine  
illa quorundam eruditorum, qui Musea, in quibus eruditæ  
confuevit juventus, variis picturis, sententiis, Tabulis hi-  
storicas, geographicis mappis ornant, ut oculis & menti  
semper obverserur occasio augendi scientiam.

§. V.

Antriquissimas inter gentes referri oportere Ægyptios,  
nemo facile inficiabitur; qui adeo litteras strenue coluerunt,  
ut *Clar. Heumannus*, loco, quem supra indicavimus, ipsos non  
tantum prima litterarum elementa invenisse, sed & doctores  
Chaldaeorum, licet hos, præeunte *Diogene Laërtio*, antiquiores  
statuat, extitisse, dicat. Ægyptios Hieroglyphicis litteris ad-  
modum deditos fuisse conflat, sapientiamque sub certis sym-  
bolis amabilem effecisse atque desiderabilem. Apparet fa-  
cile, voluisse eos junioribus non minus ac senioribus una  
ignem subjecere, ut incenderentur discendi studio. Ejus-  
modi enim signa & imagines animos precipue juveniles  
facile in admirationem trahunt, atque ad se rapiunt. Quam-  
vis non negandum sit, Ægyptios sensim sapientiam imagi-  
nibus & symbolis ita involvere coepisse, ut, Philosophia  
penitus tandem in figura & fabulas abeunte, paucissimi  
sapientiam occultam & sub umbris quasi latenter cognoscere

B

scere potuerint, & adsequi. Quamobrem Morhofius  
Ægyptum non immerito fabularum Patriam vocat, in Po-  
lybif. litt. Lib. I. c. 13. p. m. 122.

§. VI.

Propius ad rationem excitandi juvenes ad litterarum studia ferme accedit illa, quæ proximo Seculo multos habuit amatores, inter quos primo quoque loco nominari meretur Johannes Buno, Past. Luneburg. & Colleg. Equestr. Theol. Prof. qui in imaginibus Historiam universalem, corpus Juris, S. Biblia, &c. ni fallor, etiam Grammaticam latinam in lucem edidit. In præfatione, quam præmisit imaginibus *ideam Historie universalis* continentibus, complures adducit autores, quos fecutus & imitatus sit, ibique non levibus argumentis disciplinae suæ præstantiam demonstrat. In *Imaginibus istis historicis* p. 19. Hoseam repreäsentat virum laxis braccis indutum (mit weiten Hosen) librumque manibus tenentem; hoc indicium muneris propheticæ, illud nominis esse voluit. Sic p. 121. legitur: Eutropius portat ovum stillans. (er hat ein Ey, so troppet, Eutrop.) Tentarunt ante eum imaginibus instruere juvenitatem non pauci, præsertim in linguis; quo referendus est orbis pictus, liber etiam pueris non ignotus; spectat hic quoque libellus, qui Vocabularii nomen gerit, quique Norimbergæ imaginibus multis instructus prodiit. Plura qui de his institutis nosse velit, audeat Morhofi Polybif. Litt. Lib. II. c. VI. p. m. 362. seqq.

§. VII.

Huc quodammodo trahi potest Ars, quæ ab auctore Raymundo Lullio dicitur *Lulliana*, quamque insigniter auxit, & ita, ut usum præstare possit, docuit Kircherus & Leibnizius. vid. Casp. Knittelii *Via Regia ad omnes Scien-  
tias & Artes* p. 60. seqq. cont. Morhofi Polybif. Litt. Lib. II. c. 6.

§. VIII.

Palmam his præripit Celeberrimus Hermannus von der Hardt in libello, qui inscribitur: *Spes Philologie Seren-  
oris*

nioris ex educatione emendatiore facta. Rationem enim pueros ad litterarum culturam incitandi ita tradit, ut magis enucleate & eleganter, de hac re dixisse videatur nemo.  
p. 17. Primi (inquit) lusus pueriles vel infantum, quasi aliud agendo per gradus Arithmetice inculcabunt fundamenta. Maxime, si dein post aliquem usum characteres accedant, ut vel creta vel minio vel orbiculis ligneis aliisque inscribentur numeri 1. 2. 3. &c. Quos nominare, in ordinem redigere, supputare, transponere, componere, pro tota arte sensim ludendo discunt. Pergit p. 20. Hunc numerandi opera utiliter mox accedat vel secundo & tertio statim anno digna quædam verum cognitio, que ab imaginibus & picturis personarum, virorum ac fœminarum, dein actionum, integrarumque historiarum inchoabitur utilissime. Plura non transcribam, eum, qui hæc cognoscere velit ad aureum istum libellum lectu-que dignissimum remittens.

#### §. IX.

Lusus etiam alios, qui a discendi ratione videntur quam longissime esse remoti, magistri rerum periti in suorum usum convertere non erubuerunt: semper enim arbitrati sunt, scholasticos non melius discere, quam cum se discere non sentiant. Valerius Maximus Lib. VIII. p. m. 455. Socratem non erubuisse, refert, cum interpolata arundine cruribus suis cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade risus fuisset. Vere ridiculum exemplum recenset M. Zeurner in Methodologia sua Pedentica Cap. II. p. m. 40. dicitur, inquit, fuisse non incelebris moderator Scholæ, qui non nisi per continuam praxin pueros docere voluit Grammaticam, in primis vero verborum Conjugationes, ita v. g. cum conjugandum esset verbum Linggo apposuit pultem, quam lingendo tyrones sic processere: incipiens pronunciavit lingo; secundus quæsivit lingis? tum tertius respondit: ille lingit. Post pultem ori admoveentes ad unum omnes clamarunt: lingimus, quos Praeceptor adstant interrogavit lingitis? &c. Sed cum aliquando verbum Navigo flectendum esset, cymbam intravit cum suis, verum paulo infelicius: postquam enim ad primam personam pluralis: Navigamus, deventum esset, & omnes cymbam gubern-

gubernare vel turbare potius, & concutere incepissent (id enim methodus practica postulabat) parum aberat, quin cuncti submersi fuissent, periuissentque miserrime.

§. X.

*Musicam inter rationes juventuti litterarum amorem instillandi referendam esse, exemplo suo comprobarunt Cretenses, de quibus Aeliani verba in Hist. Lib. II. c. 39. p. m. 140. sq. Latine redditis sic habent: Cretenses iussi- runt liberorum filios (τὸς παῖδας τὸς ἀλυθέος) cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, ut ex Musica voluptatem caperent, & facilius eas memoria complectenterentur, & ne, si quid contra leges admisissent per ignorantiam se fecisse possent defendere. Secundum, quod eis discendum proponabant, erant hymni in honorem deorum facti. Tertium, fortium virorum encomia. Id genus artium coluisse quoque Germanos, & inter se non tantum ad virtutis amorem, sed etiam ad studium intelligendi ea, quæ laudem inereantur, viros graves ornandi, instigasse, discimus ex locuplete rerum Germanicarum scriptore Tacito, qui Cap. II. Lib. de Sit. Mor. & Pop. Germ. *Celebrant*, inquit, (Germani) carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae & annalium genus est) Tuistonem Deum terra editum & filium Mannum originem gentis, conditoresque. Celebrius quoniam in Academia Jenensi doctor, Weigelius ab hoc instituto non abhorruit. Audiamus Zeumerum in Disp. laud. p. 26. ita disserentem: Cum Schola, quam Latini ludum appellant, non servilem & laboriosum aliquem stylum, sed otium denotet, ipse Dn. Weigelius summam adhibuit operam, ut pueri ludentes, & quasi aliud agentes virtutes & linguis addiscerent. Quare modo classi pendule (quam germanice Schwabe Classen vocabat) modo equis artificialibus impositi, modo certo ordine incidentes lectiones suas recitare jubebantur cantando, idque non sine magna utilitate, siquidem satis notum est, quantum auxilio elocutio clara & auditus memoriae præbeat. Melodie igitur perspicue & jucunde non solum rudimenta discentibus, sed etiam profectioribus prescribebantur, literas pre-*

*præceptore præcincente, cantando discabant.* Addueit quoque ex Weigelii Libris Zeumerus in *Polymathia* sua nonnullos cantandi modos, quos vide sis.

§. XI.

*Recitationes Veterum*, in primis que fiebant publice, non immerito quoque locum inter incitamenta nostra habere poterunt; de quibus sic loquitur *Horatius Lib. I. Serm. s. IV. p. 228, in medio*, qui scripta foro (Romæ) recinent, sunt multi. Romani ut litteras, sic quoque hunc recitandi modum a Græcis acceperant, quem laude sua privandum non esse, putamus. Cūn enim juvenes ingenio valentes docta poēmata passim resonare intellexissent, facile ad temulacionem traxi simile efficerunt sustinuerunt, atque alii alii præstare studuerunt. Consuetudinem hanc non ineleganter ex antiquitate eruit *Job. Schefferus in Lib. sing. de Stylo, Exercitusque ejus ad consuetudinem Veterum cap. IX. p. 95. sqq.*

§. XII.

Huc referre licebit *Silentium*, præstandum iis, qui in Pythagoræ disciplinam recipi cupiebant; quod *A. Gellius Not. Attic. Lib. I. c. IX. p. m. 22* ita interpretatur: *Iz, qui tacebat, que dicebantur ab aliis, audiebat, neque percunctari, si parum intellexeras, neque commentari, que audierat, fas erat.* Post pauca: *ab, ubi res didicerant rerum omnium difficultas, tacere, audireque: atque esse jam ceperant silentio eruditæ, cui erat nomen ἔχενθια, tam verba facere & querere, queque audissent scribere, & que ipsi opinarentur, expromere potestas erat.* *Jo. Hermannus ab Elswig* quidem in *Notis ad Simonii libell. de litteris pereuntibus p. 82.* statuit, *Silentium* a Pythagora præceptum docendi saltem facultate discipulis interdixisse; voluisse enim sapientissimum virum, ut ante bene discerent, quam alios edocerent. Sed si *Silentium* illud ita explicandum sit, causam non video, cur tam studiose a multis scriptoribus tanquam singularis res & insueta commemoretur. Loqui tamen præter verum videtur *Ambrosius*, qui *Lib. I. de Officiis cap. X.* Discipulis

lis omnem sermonis usum interdictum fuisse existimat. Si quis fuerit auditorum natura ambitiosior, non potuit, quin tacere molestum & intolerabile putaverit, omnemque adhibuerit diligentiam, ut libere tandem loquendi disputandique daretur copia.

§. XIII.

Sapientia & Artes suo jure sibi vindicant Laudem, quæ si illis tribuatur, juvenes facile litterarum capiuntur amoete. Proni enim sumus ad amplectendum, eximium, quod esse cognovimus, iisque potissimum rebus delectamur, quæ usum & existimationem nobis adferre intelligimus. Hanc in rem multa Veterum & Recentiorum dicta de laudibus eruditionis & sapientiae adduci possent, paucis tamen erimus contenti. Diogenes Laertius in Vit. Socratis refert, dixisse eum: unicum esse bonum, scientiam; malum contra unicum, inscitiam. Immo Aristoteles testante rursum Diogene in Vit. Arist. interrogatus, quo differenter docti ab indoctis: ἔστι, inquit, οἱ λόγοι τῶν τερπυκότων. Litteras, quas vocant humaniores, mirum, quantum Cicero in Orat. pro Arch. extollat; in earum enim laudem sic erumpit: Hec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatum præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Et ut sapientiae majorem autoritatem ac dignitatem conciliarent Gentilium Philosophi, a diis se instrui sinxerunt; quemadmodum Socrates dicitur fassus: dæmonium sibi futura prædicere. Lycurgus cum Lacedemoniis leges dare vellet; verens ne frustra laboraret, a Deo se accepisse eas fringit. Sie enim Justin. Hist. Lib. III. cap. III. p. m. 69. sq. Hec, inquit, (instituta) quiniam primo soluit, antea mortibus dura (Lycurgus) videbat esse, audierem eorum Apollinem Delphicum fringit, & inde se ea ex precepto numinis detulisse, ut confessandi tedium metus religionis vincat.

§. XIV.

Fuerunt & sunt, quos invidioso orbitorum nomine recte notaveris, verbera quam verba plus excitationis ad litte-

litteras habere auctumantes, quibus aurem vellicat *Lockius*  
in Lib. de Educatione Nobilium p. m. &c. Cujus verba latine  
sic reddimus: *Consueta & expedita pueros castigandi ratio*  
*est virga, unicum illud instrumentum pedagogis notum & ac-*  
*cepit, quo tamen nihil potest esse ineptius ad formandam*  
*pueritiam: nam vel duritatem animi & pravitatem, vel lan-*  
*guorem & fatuitatem parit, augetque i. que utraque tan-*  
*quam Scylla & Charybdis fugienda sunt.* Concludit tan-  
dem p. 84. *Collectu facile est, plagas & alia servilia punien-*  
*di genera disciplinam eam non esse, que efficiat virum sapien-*  
*tem, probum & cordatum.*

**§. XV.**

*Glorie cupiditatem & instinctum ad honestatem in pue-*  
*ris adesse debere, si fructum litterarum percipere velint,*  
*tum Veterum, tum Recentiorum multi docuerunt. Cice-*  
*ronem ita laudis stimulo, ut tot labores, totque pericula*  
*subiret, incitatum fuisse, non ignorabit is, qui vel unicum*  
*ex ejus libris legerit. Proinde fuerunt etiam, qui lectio-*  
*ne Ciceronis juventuti plane interdixerunt propter sermo-*  
*nis fastum, qui tamen facile & detegi, & evitari potest.*  
*Utendum esse in litterarum studio discipulorum laudis*  
*cupiditate, monet Jo. *Barclanus in Icon. Anim. p. m. 2. in**

*hoc, inquit, puerorum disciplina, glorie quoque stimuli passim*

*infingendi sunt sentientibus animis, ut jam tum suos honores*

*assuecant suspirare, & sive scolis sive ludis exercitiis emine-*

*re & equalibus labore dulcissimo contendant.*

**§. XVI.**

*Æmulandi studium ita stimulo fodere juventutem, ut*  
*in litteris assiduam operam collocet, semper existimarent*  
*Eruditorum plurimi. Quapropter, ut æmulatio inter di-*  
*scentes oriatur, sedulo laborandum esse dicunt, quorum*  
*consilio frui potest commodissime Publica Instituicio quam*  
*vel ideo private informationi longe præferendam esse vi-*  
*ri gravissimi non immerito censuerunt. Luber hac de re*  
*audire *Quintil. Lib. I. Instit. cap. 2. p. 20.* Non inutilem (hic*

*inquit) scio servatum esse a preceptoribus meis morem, qui*

*cum*

cum puerorū in classēs distribuerantur, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant, & ita superiore loco quisque declinabat, ut precedere projectu videbatur. His rei iudicia præbebantur, ea (ni forte legendum erat) nobis ingens palma contentio, ducere vero classēm multo pulcherrimum. Post pauca: ita nec superior successu curam remittebat & dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad studia discendi facies subdidisse, quam exhortationem docentium, pædagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere possum, contenderm. Nec alium Fabius requirere videtur discipulum, quam qui emulandi studio incensus sit. Sic enim paulo post: Mihi, inquit, detur ille puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui vietus freat, hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio. Hunc honor excitabit, in hoc desidiam nunquam verebor. Sententiam hac de re Baconis de Verulamio audiēmus, quae in egregio Libro de Dignitate & Augmentis scientiarum Lib. VI. p. m. 370. sic differit: Omnino institutionem pueritiae & iuventutis collegiatam probamus; non in ædibus privatis, non sub ludi magistris tantum. Adebat adolescentulus in Collegiis emulatio major erga æquales; adebat quoque ipse vultus & aspectus virorum gravium, quod facit ad verecundiam, & teneros animos etiam a principio conformat ad exemplar.

s. XVII.

Lockius supra laudatus p. m. 270. Si juventus careat discendi cupiditate, qua ratione excitari possit sic docet: Serio præcipias puerō, ut lusum sibi non ingratum suscipiat, quominus ab eo recedat, prohibeas, donec tedium lusus sequatur & ipse litteris incumbendi aliquot horas veniam longe preferat ludendi copia.

s. XVIII.

Idem Autor p. 273. sq. aliud remedium suppeditat, si prius non sufficeret ad pellendum ingenii languorem; dicit enim ejusmodi puerum ad opus quoddam manibus tractandum adstringi debere, donec molestia laboris percepta, prompto animo ad litterarum studia revertatur.

s. XIX.

S. XIX.

Premia, quibus ornantur doctores & discipuli, juventuti magnum conciliare solent discendi ardorem. Nec defuerunt nonnunquam, qui bonarum artium & scientiarum cultores beneficiis affecerunt. Zeno propterea, quod juvenes accedentes discipline causa, & verbis & exemplo docuisset, ab Atheniensium Magistratu, ut commendaretur populo, aurea corona ornatur, vid. Diogen. Laert. lib. VII. in Vit. Zen. Valerius Maximus Lib. VIII. c. 15. refert: Crotontias Pythagore domum, Cereris sacrarium fecisse, aditque: *Quantum illa urbs viguit, & Dea in hominis memoria, & homo in Deo religione culpis est.* Alexander M. Aristoteli negotium dedit animalium describendi naturas, primumque laboris 800. Talenta, uti recenset hoc ex Atheneo Steidianus de IV. Summ. Imp. p. 39. seq. Celebrantur non pauci Imperatores Romani ob litterarum amorem & studia, in primis constat Constantimum M. Carolum M. Carolum V. & Leopoldum non tantum eruditos & benignos in litterarum cultores fuisse, sed & de scholis amplificandis sedulo cogitasse. Nec dubitamus, si nostro seculo plures Magnatum viros doctos soverent ornarentque, litteras etiam tum ad majorem uitam, perfectionemque esse peruenturas. Recte Clar. Christianus Falsterus in Praefat. Questionibus Romanis s. ideae Historia litt. Romanorum, premissa, interrogat: *Quis nescit ab aula pendere fortunam litterarum & litteratorum?* Consentit nobiscum Martialis Lib. VIII. ep. 56. ita canens:

*Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,  
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

Laudem meretur consuetudo, que in his terris non uno loco vigeret, ubi Magistratus certo tempore, exploratis scholasticorum profectibus, libros, nummos & alia distribuit, atque hac ratione juventutem ad industriam in litteris adhibendam leni quasi vinculo trahit.

C

S. XX. Pau-

§. XX.

Paupertatem quoque complures instigasse ad diligenter litterarum culturam atque ad culmen saepe honoris exexistere, non unus est testis. Comprobat, quod dicimus, *Celeb. Buddeus*, qui in *Exercit. de Cultur. Ingen.* Cap. II. §. 7. inquit: *Si dicendum, quod res est, paupertate magistra res litteraria hactenus stetit. Paupertas aceroribus stimulis animum concitat, ut labori non parcat, sed indefessō studio quevis prompte subeat.* Confirmat suam sententiam ex *Isidoro*, quem vocasse reperimus paupertatem πάρηστις τον τέχνης αντέγα. Addit dictum *Plauti*: *Paupertatem omnes artes perdocere, ubi quem attigisset. Subjungit denique Seneca in hanc sententiam verba, qui: Si vis, inquit, vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est.*

§. XXI.

Est etiam ratio excitandi juventutem ad litterarum studium *non exciare*, & quasi a litteris avocare velle, sicut puerorum ciere, & non permittere, ut, quantum velint, libros volvant. Quae omnia *M. Christ. Henr. Weissius* in *Consilio de Re Scholast.* Cap. IV. p. 19. seqq. Lockium fecundus egregie exponit, atque, ut paucis ejus sententiam complectar, putat pueros eo adducendos esse, ut vere existiment, pertinere ad libertatem libros legere, hocque ea ratione fieri posse, ut libri elegantes & imaginibus ornati emerentur, quos si infans requireret, ostendi quidem, brevi vero removeri debere. Si demum infans fabulam posceret, unam illius partem recensendam, alteram vero ad libri lectionem servandam esse existimat; immo dicit promittendum esse interdum infanti, mensæ dum assideret: *Si te modeste gesseris, nec item cuiquam moveris, licebit librum elegantem istum volvere atque discere.* Ut reliqua taceam,

§. XXII.

### §. XXII.

Alicet rationes excitandi juventutem possent adferri, ut sunt: Inventio artis Typographicæ, Studiosorum Privilegia, Stipendia, Commendationes, Bibliothecæ, Disputationes, Librorum apparatus, & qua sunt ejus generis. Nullus dubito, quin volumen vel de Romanorum faltem incitamentis ad studia litteraria confici possit. *Cl. Falsterus*, quem supra nominavimus, *Lib. II. c. 5. queſt. 1. p. 180. seqq.* Quinque incitamenta, que ingenia Romanorum ad docendum, scribendumve, atque ita simul ad litterarum culturam provocaverint, recenset, nimirum: 1. cupidinem libertatis, 2. jus civitatis, 3. libidinem famæ, 4. exempla Graecorum, 5. præmia & munificentiam principum. Quis autem non videt, præcipue si ad alias quoque gentes respiciamus, longe plura posse afferri. Sed cum omnia, quaæ huc trahi queant, nec velimus, nec possimus, exhaudire ad alterum caput progrediemur.

### §. XXIII.

Priusquam vero id fiat, insigne quoddam exemplum licet annectere, quod *Valerius Zerberger*, *P. VI. Orationum funebrium Conc. IV.* de se ipso refert. Cujus verba sic in latinum vertimus sermonem: Ego, Patre defuncto, paupertate commotus constitueram mecum operam locare futori. Susceptor meus ac Præceptor fidelis *Martinus Arnoldus*, simul ac hoc inaudisset, recepit me secum in Museum dixitque: Animus est tibi futoriam addiscere artem, & iam eo pervernum est, ut die dominica in disciplinam recipiaris; rem omnem latere me putas, cui tamen auricularis omnia detexit. DEUS novit cogitata tua. Ades dum paucis te volo. Pater de te haec saepe in ore habebat: *Filium meum litteris imbuendum curabo, licet vel filiarem cogere, opus esset.* Infans enim, fasciis solutis, tres digitos erexisti non fecus ac Servator porrectis digitis altera manu terræ globum tenens pingitur; quo siebat, ut b. Parens divinaret futurum, ut munere sacro fungens Chri-

stum exemplo Johannis digitis monstrares. A me vero moriens, ut ne ad aliud quam ad litterarum studium trahi te paterer, multis precibus efflagitavit; qua spe, fore, ut locum inter eruditissimos quosque obtineas, ex hac vira discessit, die extremo bene memor effati a Daniele consignati: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamentis, queret conspicuum illud lumen filium suum, quem proh dolor! in angulo, nescio quo deformem & atramento futorio maculatum offendet; qua re audita domum abi & dixi: Opificium eligat, quicunque velit, ego hodie non, eras volo, num ego coram parente barem piceus ac sordidus? Ut hoc fiat, nunquam committam.*

## CAP. II.

### *Excitandi rationes ex Philosophia morali expendens.*

#### S. I.

**M**ultas quidem rationes incitandi ad litterarum studium adduxi; tanta vero solet esse earum multitudine, ut me ne omnes quidem scire, multo minus recensuisse putem. Quotquot autem reperiuntur, singula ad tria potissimum genera referri posse videntur: Quædam enim sunt, quæ recipiunt hominem in voluntatem natura propendentem; quædam ad eum spectant, qui honorum laudisque est cupidus; quædam ei convenient, quem opes maxime delectant. Nisi addere velis, esse quædam, quæ commode ad omnia tria genera referri possint.

#### S. II.

Dispiendum nunc est, num liceat hac ratione tezeros animos ad litteras alicere nec ne? *Henricus Cornelius*

*Eius Agrrippa ab Netteshely Lib. de Incertitudine & Vanitate  
omnium scientiarum & artium Cap. i. dicit: Nil pernicioſus,  
nil pestilens hominum vita animarumque noſtrarum ſalui  
poſſe contingere, quam ipſas artes, ipſasque ſcientias. Cui  
opinioni ſi locus eſſet relinquendus, non tantum excita-  
tio omnis ad litterarum culturam damnanda eſſet, ſed o-  
mnes quoque ſcientiae ex orbe, ut ejicerentur, require-  
ret æquitas. Ejusmodi vero vanum oblocutorem non cu-  
ramus.*

### §. III.

Aſt non dubito, fore alios, qui pleraque hæc ge-  
nera excitandi teneram etatem non tantum levia, ſed &  
impia & homine Christianorum ſacris addicto indigna ju-  
dicient, eam ob cauſam, quod ſic juventus non ad huma-  
nitatem formetur, ſed pravis affectibus immergeatur &  
quasi ſuffocetur; quibus tamen confeſtim reponde-  
bimus.

### §. IV.

*incipit Voluptatem velle, & querere hominem natura do-  
cet, licet diſſitendum non sit, aliud alio maiores volunta-  
tis ſentire ſtimulos. Deus hominem ita condidit, ut poſſit  
auribus, oculis, naribus, aliisque corporis membris percipe-  
& quidem multis modis voluptatem. Deus quoque re-  
bus creatis hoc tribuit, ut hominem ſvaviter afficiant, at-  
que ſepiuſ dulcedine quaſi perfundant.*

### §. V.

*Qui igitur juventuti oſtenderit aut ſvavitatem illam  
in litteris reconditam, aut viam, qua Athenas eatur, amœ-  
nam & undique ſenſibus blandientem, an eum errasse, aut  
perperam egiffe dicemus?*

### §. VI.

*Huc pertinent rationes excitandi iſta, cum imagi-  
nes,*

nes, simulacra, lusus, cantus, hisque similia in linguis histo-  
riisque pueris tradendis a preceptore adhibentur, ut ejus-  
modi umbrarum beneficio animi reddantur attenti atque  
dociles. Inprimis merito magni facimus istam institutio-  
nem, si quis ea recte uti sciat, quam supra Cap. I. §. 6. & 8.  
laudavimus. Qui vero adultiores per imagines docere  
vellet Logicam, Ethicam & Mathesin, is ingenia non for-  
mare, sed distringere, turbare, & confundere videretur.  
Non enim alienum est, de ejusmodi ratione instituendi  
eadem dicere, quæ Morhofius in Polybiſt. Litt. Lib. II. p.  
372. De arte mnemonica meminit: *De arte*, inquit,  
*mnemonica ita ego iudico, in iis disciplinis, in quibus e be-*  
*ne ordinatis & connexis principis omnia deducuntur, su-*  
*pervacuum esse ejus usum: Qui enim hic imaginibus juvare*  
*velit memoriam, duplici onerabit conceptu, cum simplex co-*  
*gnitio e recte deductis principiis proveniens, per ipsum illum*  
*ordinem memorie se ingerat.*

#### §. VII.

Nec cuiquam svafor esse velim, ut Fabulis, quas  
vocant Romanenses, illo libidinis formite, aut cantionibus  
Veneri vel potius Cerboe sacris incitare juven-  
tem ad Eloquentia, Poëseos, aut ad aliud eruditio-  
nis sustineat,

#### §. VIII.

Is quidem meo iudicio non peccat, qui acerbita-  
tem litterarum persentiscens etiam eam ob rationem, si  
modo non sit sola, litteris invigilat, & a nullo abhorret  
labore, ut tandem, superata ignorantia, officio fungi possit,  
matrimonioque sibi jungere puellam formosam, dotatam,  
bonaque mente praeditam.

#### §. IX.

Licebit juvenitatem ad litteras blanda ratione & lu-  
su ad

su ad litteras vocare, atque ipsi jucunditatem, quæ labores sequatur, laudare; docendi autem mature sunt scientiarum, artiumque studiosi, non esse unicum atque primum earundem scopum, voluptatem; verum eo potissimum respiciendum esse, ut intellectus inscitiam atque errores exuat, homoque rationem commode & feliciter vivendi, ineat.

§. X.

A Tyrone quoque voluptas, quæ percipitur ex sapientia & scientia præcipue gentilium non ita aestimari meretur, ac si in iisdem summa hominis salus esset posita. Quidam eruditorum amore litterarum profanarum eo abrepti fuerunt, ut sacras parvi fecerint, omnemque amorem DEI exuere non erubuerint. Quemadmodum in primis in Petro Bembo improbatur, quod Ciceronem ita amaverit, ut amicis confessus sit, fordere ipsi Biblia, operamque, quæ eorum lectioni impenderetur, putare se male esse collocatam.

§. XI.

Facili, distincto & jucundo dicendi, docendique genere qui, omissis rerum imaginibus alte petitis, utitur, nec a re, quam tradit, justo longius recedit, quodvis facile ingenium instruet, & ut omni impetu litteris incumbat, efficiet. Nec ita fieri facile potest, ut ineptiendi libido & pueriliter faciendi nimium alatur & augeatur.

§. XII.

Quæstio forte majoris momenti videri poterat ista: num Tyroni, qui gloria potissimum dicitur, liceat honores, studiorum perpetuos comites laudare, eumque ad simulationem instigare? Cuivis non ignotum esse potest, & dari multos, qui hac in re modum excedentes scholasticos reddant vana ambitione turgidos, ut si medocri-

Siocriter didicerint Grammaticam, totas Athenas in se  
commigrasse existimant; & reperiri etiam non paucos,  
qui, nescio, qua morum sanctitate impulsu omnem ambitum,  
omnemque emulationem procul hinc pelli jubeant;  
quorum quidem iudicia, quam cæterorum moderatius  
ferre nos decet, quia ut plurimum bona mente errant.

### §. XIII.

Veritate tamen niti & oportet & opus est. Homines, laudem & existimationem ambire, quamdia ab honestate pariter aequitatem non receditur, nemini poterit vertivitio: Deus enim hominem non contentum expositum velle potest, nisi seipsum odisse cuperet. Homo natura abhorret ab infamia, & delectatur, si ab aequo iudice colatur atque observetur. Misera certe ejus foret conditio, qui in tantum odium atque hominum contentum incurrisse, ut non reperiaret, unde vitam sustentare, Republicæ inservire, gloriarique Dei augere posset. Deus quoque varios constituit honores, quos distribuit aliis maiores, aliis minores adsignans.

### §. XIV.

Hinc meo iudicio ille non perperam & nequiter facit, qui bona famæ studet, & contentum, quoad fieri potest, maxime fugit; nec iste facinoris arguendus est, qui spe honorum aut dignitatum magnas res molitur, & operam dat litteris, ut præter cetera famam optimam, & munus obtineat.

### §. XV.

Æmulationem, si ab odio & invidia distinxeris & separaveris, honestarum & liberalium artium studiosum non omnius dedecere existimo. Adprime igitur Cicero Lib. IV. Tusc. Quæst, I. 8. dupliciter, inquit, Æmulatio dicitur, ut & in laude, & in vita nonne hoc sit; nam & imitatio

*tatio virtutis æmulario dicitur; & est æmulario ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alias potiatur, ipse careat. Sententiam meam clariorum reddet judicium illud de æmulari studio exquisitum Edm. Richerii in Obst. Anim. c. VII. n. 3. p. m. 194. Qui sic loquitur: Nemo autem, ut opinor, mili jure succensendum putabit: Si ad honestam & liberali-lem æmulariæ adolescentes ingenuos coner incendere, non sordidam & illiberaliæ invidiam, quam figuli & opifices so-let inter se exercere, sed illam virtutum, omniumque arti-um parentem intelligo, quam inter doctos viros & princi-pes civitatis semper viguisse ac Reipublicæ admodum salutarem fuisse, omnes experti sunt.*

### §. XVI.

Cautum ac providum oportere esse eum, qui ex-citare ingenium juventutis velit ea ratione, quæ blandia-tur ambitioni, facile videre est. Recte omnino monet Vir cordatus Jo. Valentinus Andreæ in Dialog. de Litteratura Christiana, p. m. 101. Libros, inquit, reperire & exigere, ad laborem agere & stimulare; precepta, regulas, dictataque obtrudere, & inculcare, cuiusvis est: summiam rei monstrare, facilitatem aperire, applicationem adhibere, usum doce-re, exemplo preire, dentique ad Christum omnia referre, hoc opus, hic fudor Christianus est, quem nulle orbis opes re-penderint.

### §. XVII.

Christianorum magnitudo animi & modestia re-quirit, ut hac in re modum servent, atque caveant, ne sibi plus, quam decet, tribuant. Id quod gentilium vel solerissimi consequi haud valuerunt, qui honoris osores videri, quam esse malebant. Quemadmodum hoc Clar. M. Menz exemplo Diogenis luculenter satis ostendit in Dissertatione septem abhinc annis Lipsie habita, quæ in-scribitur: *Faustus Philosophicus virtutis colore infuscatus in imagine Diogenis Cynici propositus.*

D

### §. XVIII.

§. XVIII.

Gloria DEI nunquam postponenda est, sed ad eam sedulo & in primis respiciendum. Immo omnes nostræ actiones, ut ad eam collineent & honor nobis exhibitus ad DEum referatur, necesse est.

§. XIX.

Eis, qui atra bile vexantur & timiditate compulsi opes, quibus se muniant defendantque, amant, ut litteris non solum animum adipicent, sed & iisdem studiose invigilent, calcar addere possumus, ipsis si litteras ut fœcundas matres dicitiarum & opum laudemus, quibus ornari & utile & pulchrum arbitrantur.

§. XX.

Cupiditatem hanc naturæ suam debere originem, eamque in aliis fortiorē esse, in aliis remissiore cuique facile constat; nec in ea quid vitii continetur, nisi effervescent æquitatem aut justitiam offendat & evertat. Quare cupiditatem istam neque extirpandam, neque nimis augendam, sed temperandam, atque in usum tum publicum, tum privatum convertendam esse intelligimus.

§. XXI.

Artem cum quævis terra alat, non video, cur artibus & scientiis operam daturō ad commodum respicere atque in studio litterarum inde incitamentum capere non liceat?

§. XXII.

Tandem, ut vasa sensim sensimque colligamus, hominum propensionibus, quas adduxiinus, uti licere ad excitanda ingenia probari potest, quia iisdem in futura vita satietatem convenientem pollicetur DEus. Voluptatis desiderio promittuntur gaudia, nuptiæ, epulæ, quaunque

cunque etiam ratione hæc nomina interpretēris. *Honorū cupiditati proponitur, Corona, Honor, Splendor.*  
Cupidini multa possidendi respondent thesauri & uniones. Sit ita, voces istas tantum ad significandam similitudinem quandam bonorum cœlestium & terrestrium adduci a scriptoribus sacris. Sufficit mihi, ita concedi affectus non esse extirpandos, & admitti, voluptatem, honores, & opes esse bona; quidni igitur repræsentatione bonorum istorum ingenia juvenilia ad litterarum culturam excitari posse putemus?

**§. XXIII.**  
*Constat quoque Theologorum unanimis sententia, gratiam divinam has propensiones non extinguere, sed ad aequitatem componere, & moderari, ut ne in rebus tantum cœreatis figantur, hominemque a DEO avertant, abstrahantve.*

**§. XXIV.**  
*Nisi hac ratione incitaveris ingenium, animi robur deficiet & amittetur, ita, ut idoneus litterarum cultor stipes factus videatur. Quam rem egregie comprobat, Erasmus Epp. Cent. VII. ep. 29. dum ita judicat: *Ui bonos alit artes, ita genus vite sordidum, nullus studiorum comes, nullus emulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honor, nulla premia etiam ex diligentissimo ignorassimum reddunt studiosum.**

**§. XXV.**  
*Objicere nobis quis posset: irritam esse ejusmodi excitationem, cum voluptas, dignitates & opes non semper sequantur, si vel maximam diligentiam in litteris adhibueris, eruditusque ad invidiam fueris. Sed fac ita esse, non omnes litteris etiam probe tinctos rerum affluentiam, quam spe forte conceperunt, statim consequi; incitatione tamen eo pervenerunt, ut possint, si DEUS*

votis voluerit annuere. Si sint Christiani, animum non abjic-  
tient: niorunt enim Supremum Numen, quod expectant,  
daturum si expediat, sin noceat, negaturum.

§. XXVI.

Iterum iterumque monendi sunt, tum qui excitant,  
tum qui excitantur, ut animum emendent, honoremque  
DEI omni studio promoveant, augeantque; & ut sibi ca-  
veant, ne nimio impetu in res terrenas ferantur, neque  
mundi opes cœli thesauris anteponant. Affectus enim,  
si sepius & imprudentius excitentur, hominem opinione  
celerius in servitatem adducunt, atque non raro intelle-  
ctui tenebras offundunt. Jo. Clerici judicium, quod le-  
gitur in *Art. Crit. P. II. Sec. I. Cap. XVI. §. 5.* hic non  
præteribimus. *Cum ab his*, inquit ille, *qui nos educent, &*  
*prima infans, excitentur & foveantur in nobis affectus;*  
*paulatim fit, ut his nimium indulgere adsueta, nulla re ferme*  
*commoveamur, aut delectemur, nisi iis, que affectibus*  
*blandiuntur. Cetera omnia nobis tediosa, & insulsa viden-*  
*tur, nec ea, nisi inviti patimur.*

§. XXVII.

Plenius atque curatus forte dicendum a me fuis-  
set, quæ rationes excitandi juventutem ad litterarum cul-  
turam essent optimæ; At enim vero merentur laudem vel  
vituperationem potissimum pro ratione ingeniorum, ex-  
attis, educationis, bonorum, locorum, aliarumque causa-  
rum, quæ certe omnia si exponi a nobis deberent, non  
disputatio, sed liber componendus esset. Proinde suffi-  
ciat, hinc inde judicia quedam inspersa esse, quæ facile  
quid sentiam, ostendunt. Faxit Deus benignissimus, ut  
ne unquam desint, & qui juventutem ad litterarum cul-  
turam bene incitent, incitatam bene doceant, & qui rite  
incitantes & docentes foveant, sustententque!

S. D. G.

COROL-

## COROLLARIA.

non bonum. I.

Temperamentum est nullum.

II.

Temperamenta sunt quatuor.

III.

Temperamenta sunt innumera.

IV.

Anima hominis materialis est  
*σιδηρόζυλον.*

V.

Quamdiu intellectus agnoscit aliquam rem esse bonam, tamdiu quod adeam attinet, homo non habet libertatem.

VI. Ni.

COROL. VI. RIA.

Nihil est in intellectu, quod non  
fuerit in sensu.

VII.

In quolibet peccato est error in-  
tellectus.

VIII.

In Religione sapientia versatur.

VI.

Amis pote si materies et  


Quamdiu intellectus analogic-  
tum inter esse possum, tam  
dum absens sit in mente homo non ipsi-  
pot ipse est.

VI. NI.

72 Maf.

ÖN A 6610



V ① 18

5b.

V ① 17  
V ② 18





32

**DISSERTATIO  
DE  
VETERVM ET RECENTIORVM  
RATIONE EXCITANDI  
IVVENTUTEM  
<sup>AD</sup>  
LITTERARVM CVLTVRAM,  
QVAM  
*AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM  
ORDINIS CONSENSV  
IN ACADEMIA LIPSIENS  
DIE XVII. JVNII ANNO MDCCXIX.  
MORE CONSVENTO  
MODESTÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT  
PRÆSES  
M. ABRAHAM Riegel/  
VOLCKERSDORFIO - Lvs.  
RESPONDENTE  
HENRICO FREUDE,  
LIGNITIO - SILES.  
LIPSIÆ,  
LITTERIS SCHEDIANIS.***

36